



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

Pars Prima Fundamenta Bonæ Voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

P A R S P R I M A

Fundamenta bonæ voluntatis.

S E C T I O P R I M A.

Primum fundamentum, Providentiam divinam universo regendo præsidere.

I.
Providentiam Dei negavit nemo.

M IHI jam olim persuasum est, tam impium aut stolidum inter homines extitisse neminem, cui de Providentia Numinis cognitio sensusve defuerit. Quare cum aliquos lego, vel audio, eò horrendæ brutæque impietatis venisse, ut DEUM dixerint, motus Universi non curare, spectareque otiosum, & rebus quas condidit gubernandis absistere: prorsus existimo isthæc eos ex animi sententia non locutos: sed ita sibi, reluctante quamvis conscientia, persuadere conatos, ut eò liberiùs effrænis cupiditatibus, Numinis metu soluti, indulgerent. Atque adeò ipsos ne
nomi-

nominandos quidem fuisse arbitror : ut in rerum natura fuisse nescirentur, qui naturâ sese indignos fecerunt, cum tam execrandis vocibus illam contaminavêre, & affectavêre, vel simulavêre, ignorantiam manifestissimæ veritatis.

II. *Infideles
pradica-
vêre.* Eo de argumento D. Paullinus Sc-
vero scribens epist. 2. Nox, inquit,
*nocti indicat scientiam. Et vacare
jubeor, ut te, ô Deus, Dominum esse videam,
cum hanc lucem etiam noctes sciant, hoc est
principes vel operarii tenebrarum? Mens
nulla tam obscura est, si modò mens est;
conscientia nulla tam tenebrosa, si modò
sibimet sui conscia est: cui lux illa divinæ
rationis, & intelligentiæ, sese negaverit.
In promptu est scire, quod Deus rector
omnium est; quandoquidem in promptu
est videre, quod Deus est. Hoc omnis anima
videt, ad hoc mens nulla caligat, hoc etiam
Infidelium fides recipit. Placétne Infide-
lium aliquos testes adducere, aut eorum
testimonia recitare? De Græcis selectum
unicum, unicum de Romanis eximium
recitabo: quorsum enim pluribus testi-
monis*

moniiis congerendis bibliothecas com-
pilem? Aristotelem præstantissimi in-
genii fuisse ambigit nemo; vitam non in-
tegerrimam egisse, affirmant multi; de
DEO non rectissimè sensisse, suspicantur
quidam. Legitur tamen libro *περὶ κόσμου*
apud Stobæum, appellasse Deum mundi
*κυβερνήτην, ἡνιόχον, κορυφαῖον, νόμον, ἡγε-
μόνα*: gubernatorem, aurigatorem, choragū,
legem, Imperatorem, qui immotus, citràque
ullum laborem regat omnia, & administret.
Ipsam sententiam ex ejus verbis, eodem
prorsus sensu expressam, reddo. Quod
in navi est gubernator, auriga in curru, co-
rypheus in choro, lex in urbe, in exercitu
Imperator: id Deus in mundo est. Præter-
quam quod illis regere laboriosum est, mul-
tisque motus ac curarum: huic verò nec do-
lorem affert nec laborem, corporeæ omnis in-
firmitatis experti.

III. Quid sublimius & magnificentius
de DEO, ejusque Providentia,
apud Philosophos Christianos
audiamus? Finge tibi mundum navigiū
instar esse, æstu fluctibusque temporum,

ac

ac ventis mutationum perpetuarum agitari: ad clavum hujus navigii sedet intenta gubernando Providentia Numinis. Mundus quaternis anni tempestatibus, velut totidem rotis, insistens, & perpetuò nunc sursum nunc deorsum circumvolutus, exhibeat imaginem currus Ezechieli objecti: eo curru vehitur majestas DEI, aurigante ejus Providentiâ. Fac mundum esse chorum Musicum, partibus omnibus suis supremi opificis laudes cantantem, jam Lydio molliq̃ue sono, tum Dorico ac Martio, modò voce læta accelerare, modò lenta languidâq̃ue, & suspiriis singultibusq̃ue intercisa: harmoniæ artifex, choragûsq̃ue, & modulorum designator DEUS est. Esto mundus populosa urbs, civium, artium, negotiorum multimo: dâ varietate distincta: ejus æterna lex DEUS vetat quædam, alia imperat; deinde pro meritis vel castigat, vel muneratur. Dic mundum instar habere numerosissimi exercitus, cùm res omnes creatæ, quamvis inanimæ, eodem jure appellari possint militia mundi, quo astra Jeremias capite

capite 19. nominavit militiam cæli: eum exercitum armat, exarmátve, & in ordines suos cogit summus Imperator DEUS.

IV. *Et definitiones ex iisdem.* Philoni adeò placuerunt Aristotelicæ istæ imagines, ut ternas mutuatus suis de DEO scriptis inferuerit, binas libro de Abraham, tertiam libro de Monarchia. Nam ibi Deum nominat, τοῦ κόσμου ἡνιόχον καὶ κυβερνήτην, *Mundi aurigatorem & gubernatorem*: hîc ait, ex mundi motibus ordinatis DEUM rectorem intelligi, quomodò ex civitate benè composita agnosci sapientem magistratum. Sed Infidelium potiùs alterum audiamus Senecam. Quamquam alii Christianum fuisse velint: Christianè equidem loquitur, maximè ubi agit de Providentia Numinis, cui librum totum inscripsit, & sparsim plurima & significantissima operibus aliis intexuit. Aliquot solùm versus ad specimen ex libris Naturalium quæstionum transscribam. Sub primi libri initium inter multa de DEO præclara hæc habet. *Quid est Deus? Mens*

Vniversi.

*Universi. Quid est Deus? Quod vides totum
 & quod non vides totum. Sic demum ma-
 gnitudo sua illi redditur, quâ nihil majus ex-
 cogitari potest, si solus est omnia, opus suum
 intra & extra tenet. Quid ego interest inter
 naturam Dei & nostram? Nostri melior pars
 animus est: in illo nulla pars extra animum,
 totus ratio est. Audis DEUM dici omni-
 scium, omnitenentem, omnia ratione
 administrantem, invisibilem in se, visibi-
 lem in suis, animam vegetatricem Uni-
 versi. Ad hæc opinor, verba respexit
 Plinius lib. 2. cap. 7. luculentissimè de
 DEO locutus, utinam constantius: Deus
 . . . totus est sensus, totus est visus, totus au-
 ditus, totus animæ, totus animi, totus sui.
 Forfan & hæc Senecæ de illo meminerat
 lib. 2. Naturalium quæstionum. Vis illum
 fatum vocare? Non errabis: hic enim est ex
 quo suspensa sunt omnia, causa causarum.
 Vis illum Providentiam dicere? Rectè dices:
 est enim cujus consilio huic mundo providetur,
 ut inconcussus eat, & actus suos explicet.
 Vis illum naturam vocare? Non peccabis: est
 enim ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu
 vivimus.*

vivimus. Vis illum vocare mundum? Non falleris: ipse est enim totum quod vides, totus suis partibus inditus, & se sustinens vi sua.

V. *Anima humana sensus de Providentia.* Quid autem miremur, illos priscae philosophiæ genios tam magnificè pronuntiasse, quandoquidem, uti Prosper, seu quis alius est scriptor Poëmatis de Providentia, cecinit, *Esse omnes sensere Deum, nec defuit ulli Auctorem natura docens, neque auctorem modò, sed & motorem ac rectorem perpetuum?* Demonstrare illud non possim efficacius ac potentiùs, quàm Tertulliani verbis in Apologetico ad Scapulam: *DEUM universo præsidere, vultis ex ejus operibus tot ac talibus, quibus continemur, quibus sustinemur, quibus oblectamur, quibus exterremur, vultis ex animæ ipsius testimonio comprobemus?* Quæ licet carcere corporis pressa, licet libidinibus & concupiscentiis evigorata, licet falsis Diis ex ancillata, cum tamen respiscit, ut ex crapula, ut ex aliqua valetudine, & sanitatem suam paritur, Deum nominat: hoc solo propriè, quia hic unus
Deus,

Deus, bonus, & magnus. Et, quod Deus de-
derit, omnium vox est. Iudicem quoque con-
testatur illum, Deus videt, & Deo commendo,
& Deus mihi reddet. O testimonium anima
naturaliter Christianæ! Edidit idem scri-
ptor aureum libellum de Testimonio ani-
mæ, ubi eam in medium advocat *simpli-*
cem, & rudem, & impolitam, & idioticam
... illam ipsam de compito, de trivio, de tex-
trina totam: Sciscitatúsque quid de Nu-
mine & ejus Providentia sentiat, hæsitán-
tem in responso, ac cunctantem, ducit ad
procellosum mare, scaphæque impositam
audit inter discrimina de DEO loqui, ejus
auxilium implorare, ipsi vota facere. Ita
nimirum cui libet animæ insitus est de
DEO sensus Universi gubernatore, tem-
pestatum elementorúmque domino, bo-
norum ac malorum æquissimo dispen-
satore.

VI. Nec tantùm secreto naturæ im-
Trium mun- pulsu ex hominum quorumlibet
dorura testi- ore erumpit illa veritatis con-
monia. fessio: sed etiam ipsorum menti impressa
est, ut ex adspectu rerum creatarum, ex
fui

fui cognitione, ex conversionibus fortunarum, DEUM motorem ratiocinando cogantur agnoscere. Tres itaque Providentiæ Divinæ demonstratores & magistros habemus singuli, Mundum majorem, Mundum minorem, Mundum civilem. Mundum majorem vocamus, ad spectabile Universum ex plurimis partibus concorditer inter se discordibus compositum. Mundum minorem *μικρόκοσμον* olim philosophi hominem vocavere, quia corporis structurâ, animique conditione, rerum cæterarum quoddam est compendium. Mundum civilem populorum ac nationum fortunam dicimus, per pœnas ac præmia, per prospera & adversa fluctuantem. Quisquis intelligentiæ expers non est, ex ternis hisce argumentis, DEI Potentiam conditricem, Providentiam reatricem, Benignitatem altricem non potest non agnoscere.

VII. Si concentum musicum, lyræ-
Testimonium ve scitè percussæ sonum audie-
ab aspecta- ris, modulatorem licèt lyri-
bili mundo. cæ non intueare, ex cantu nihilomi-

nus intelliges. Si navem inter fluctus
ferri videas; passis modò velis, modò
contractis; nunc recto cursu, nunc ad vi-
tandos scopulos deflexo; etsi gubernato-
rem aspicere nequas, regere tamen non
dubites. Si civitatem pulchrè ordina-
tam, aciem in cuneos dispositam spectes,
statim conficias, magistratûs & Imperato-
ris opus esse, licèt operantes non videris.
Phidias, aliûsve artifex sculpendi eximius,
quamvis absens, ex suis cernitur operibus,
inquit Athanasius lib. I. contra Gentes.
Eundem in modum DEUS, ex se corpo-
reis oculis inaspectabilis, agnoscitur ta-
men ac cernitur ex partium Universi dis-
positione pulcherrima, sapientissima agi-
tatione, concentu elegantissimo. Quod
de creatore rerum dixit D. Augustinus
lib. II. de Civitate cap. 4. idem de creatu-
rum conservatione dicendum est: *Exceptis
propheticis vocibus, mundus ipse ordinatissima
sua mutabilitate & mobilitate, & visibilium
omnium pulcherrima specie, quodammodò ta-
citus & factum se esse, & non nisi à Deo ineffa-
biliter atque invisibiliter magno, & ineffabili-*

ter atque invisibiliter pulchro, fieri se potuisse
 proclamat. Insonat undique auribus nostris
 vox clamantis mundi: ingeruntur undique
 oculis radii divinæ lucis. Unde illæ Orato-
 ris Christiani voces, Minutii Fælicis in
 Octavio: *Quid potest esse tam apertum, tam
 confessum, tamque perspicuum, cum oculos in
 calum sustuleris, & quæ sunt infra citràque
 lustraveris: quàm esse aliquod Numen præ-
 stantissimæ mentis, quo omnis Natura inspi-
 retur, moveatur, alatur, gubernetur?*

VIII. Jam si homo ab Universi con-
 templatione ad semetipsum co-
 gitationes suas reflexerit; si cor-
 pus suum, animamque nosse
 cœperit; si se esse, vivere, intelligerèque
 intellexerit? Tum verò fieri nequit, ut
 gradum non faciat ad conditorem suum ac
 moderatorem DEUM. Quo cognito, si
 non solùm bonæ intelligentiæ, sed etiam
 bonæ voluntatis erit, conditoris sui ac
 moderatoris malet esse quàm suus, & ab
 illo in omnibus pendere potius eliget
 quàm à se. Multis certè Infidelibus id
 contigisse reor, quod de se Hilarius, li-

bro de Trinitate claufurus, luculentis verbis profitetur, ut ex cognitione sui DEUM agnoscerent, agnitum sequi & amare constituerent. Apud D. Birgittam libro Revelationum 6. cap. 5. de muliere Ethnica narratur: quæ ex solius corpusculi sui structura ita ratiocinata est, ut se dominam sui ipsius non esse conficeret: neque enim, inquiebat, manus illæ tam expeditæ, oculi illi tam capaces ac celeres, illi tam affabrè coagmentati artus à me sunt: si à me non sunt, nec mei sunt, ejus sunt qui fecit: si ejus sunt, qui fecit, ei magis quàm mihi debeo impendere, ei lubenter reddere cùm repetet, ei obsequi, ad ejus arbitrium me meaque componere. Eum ferè in modum Ethnica argumentabatur. Quid autem posteaquam ad veræ religionis diem, ex tenebris superstitionum, DEO sensim manducente, emerit? Quàm propensa & firma voluntate sese illi totam permisit? Quàm ardente animo Providentiam illius vitæ deinceps omniducem amplexa est?

IX.
Et exfor-
tunis pu-
blicis.

Unici corpusculi humani confi-
deratio tantum profuit ad veri-
tatis cognitionem: non plus po-
terunt quotidiana spectacula populorum,
inter prospera & aduersa mirabili vicissi-
tudine transeuntium, cum indubitata ad-
ministrantis & iudicantis providentiæ te-
stificatione? Vident enim oculati omnes
in publicis plurimis eventibus digito DEI
scriptum, quod D. Augustinus annotavit
lib. 3. de Trinitate cap. 4. *Nihil fit visibiliter
& sensibiliter, quod non de interiore invisibili
atque intelligibili aula Summi Imperatoris aut
jubeatur, aut permittatur, secundum ineffa-
bilem justitiam premiorum atque poenarum,
gratiarum atque retributionum, in ista totius
creaturæ amplissimâ quadam immensâque re-
publica.* Orbis totius diluvium, Sodo-
morum ignes, Ægyptiacas plagas, Nabu-
chodonosoris emotam mentem, Baltassa-
ris prænuntiatum interitum, aliâque ejus-
modi publica supplicia, sacræ literæ Orbi
universo promulgavêre. Quia palàm pa-
trata, publicèque testata sunt, etiam Infi-
deles, quibus ea recitari contingit, fidem

adhibent, nec dubitant quin divinitus, & à Numine, res hominum sciente ac curante, acciderint. Sed non omnibus ista recitantur: neque enim sacrarum literarum voces ubique adhuc auditæ sunt. Non tamen defuere sua nationibus singulis, vel in imo barbarici sinu abstrusis, propria de Providentiæ divinæ regimine testimonia, per manus à majoribus tradita, vel ex monumentis repetita. Americani toto Oceano à nobis, & ab animorum cultura ad sæculum usque proximè præcedens semotam, habitant populi numero plurimi, linguis distincti, ingenio inculti, moribus efferi. Apud illos in Peruano regno natus Ynca Garcilassus scribit, pro certo passim haberi, narrarique, de natione quadam contermina, quæ cum se criminibus Sodomitarum vulgò tota contaminasset, eodem supplicio absumpta est, tactis de cælo exustisque ad unum omnibus, ut nihil de polluta ac scelerosa stirpe præter memoriam superesset. Tam spectabili ad omnes exemplo, excitatum in Americanis gentibus, quem na-

tura

tura aperuerat, inquinati mores obfuscarant, Numinis rectoris, iudicis, vindicis sensum ac metum.

X. *Elementorum ordo.* Transcendamus tantisper obvias illas ingeniis, quamvis hebetibus & obtusis, cogitationes: & philosophicis oculis mundi partes præcipuas, structuramque earum ac cursum intueamur. Terram pondus suum fixit, & centro circumligavit: cætera elementa pro ponderis sui portione ordinem quæque suum obtinent, inter se mirabili consonantia dissona. Terra frigida frigida aquæ vicina est: aquam humidam humidus aër contingit: calido aëri ignis calidus superfertur. Contra siccitas terræ humori aquæ opposita est: aquæ frigus aëris calori contrarium: humor aëris siccitati ignis inimicus. Si ex aliorum philosophorum sententia placebit aliter de elementorum numero, ordinéve, aut qualitatibus differere: si corpusculorum, varios in situs figurásque coagmentatorum, tria quatuórve genera in materiæ primæ & elementorum vicem substituere: mane-

bunt nihilominus adjuncta dissimilibus similia, mobilia quietis, cita tardis, dura liquidis. Quis tam aptè singula locis suis disposuit? Quis discordibus indixit concordiam? Quis tam ordinatis inimicitiis concinnissimam amicitiam temperavit? Quis legum suarum observantiam hactenus ab illis exegit, & deinceps exacturus est, nisi præstantissima aliqua mens, rerum omnium facultates ac fines infatigabili intellectu complexa, quæ ipse Deus est. Audio itaque respondentia undique corpora & elemēta interrogationibus nostris, idem quod mortalium omnium nomine Psalmista canebat, *Ipse fecit nos, & non ipsi nos: Ipse regit nos, & non ipsi nos.*

XI. *Firmamenti magnitudo.* Ab elementis transcendamus ad cælum, & omisso Solis planetarumque cæterorum, ut mirabiliter constante & composito, ita & satis cognito cursu, solam stelliferi cæli seu firmamenti magnitudinem, altitudinem, velocitatem ex celeberrimis Astrologis metiamur. Terram, quantacumque est, seu miliarium millia novemdecim leucarumve

rūmve horariarum millia sex, seu eò plus ambitu complectitur: asserunt astrologi præ firmamento tam exiguam esse, ut si illic collocetur ne videri quidem possit. Stellarum enim notabilium minimas, quæ magnitudinis sextæ appellantur, terram octodecim partibus excedere: quæ primæ magnitudinis sunt septies supra centies terra majores esse. Numerari autem notabilium stellarum mille ac viginti duas: aliarum milliones septuaginta & unum, ducenta & novem millia, ac sexcentas. Unde confici facillimè potest, *quàm sit magna domus Dei, & ingens locus possessionis ejus: quàm vasta & immensa firmamenti spatia, tot ac tantas moles corporum distinctis locis continentia.*

XII. Inde etiam consequens est, alti-
Altitudo. tudinem firmamenti meritò Si-
 raciæ mirabilem visam, Eccles. cap. 43.
 quando tanta corpora hominibus è terra spectantibus tantilla appareant. Colligit cum Alphragano Clavius extimam cæli astriferi superficiem hinc distare, milliariū Italicorum millionibus centum sexa-

ginta & uno, octingentis octoginta quatuor millibus, nongentis quinquaginta tribus: id est millionibus circiter horariarum leucarum tribus supra quinquaginta. Itaque si illinc molaris devolveretur, etsi millia passuum ducenta in horas singulas impulsu naturali conficeret, ante nonagesimum tamen annum terram non attingeret. Ut vel ob hanc causam accommodatissime Deus in Sacris literis vocetur *Altissimus*, & Christus dicatur *Filius Altissimi*, & ab Angelis *Gloria Deo in excelsis* cantata sit, & Isaias viderit *Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum*.

XIII. De velocitate autem immensæ *Celeritas* illius machinæ vix sine vertigine cogitari serio queat. Stellæ lineæ æquinoctialis, scribit Clavius in Sphæræ caput nonum, emetiri hora una milliarius milliones quadraginta duos, trecenta octoginta quatuor millia, quadringenta triginta septem: id est, ut rectè colligit Richeomus, horariarum leucarum milliones circiter quatuordecim. Quantum scilicet eques vix millibus annorum tribus
confi-

conficiat: quantâ velocitate non feratur glans ferrea, tormento murali impulsa, si septies terram circumvolet, dum semel Salutatio Angelica percurritur. Quod celeritatis in tam vasto corpore miraculum intellectus humanus, quàm velocissima conceptione, sequi non potest. Atque adeo quidam eo miraculo absteriti, alium cælorum situm motumque describere moliti sunt; nec tamen, utcumque cogitârint, incogitabilem prorsus pernicipitatem orbium illorum evasere. Itaque à Vate Regio verissimè dictum Psalmo 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*, sermone muto illo quidem, sed aperto ac velociter currente quotidianæ revolubilitatis. Et postquam Deum auctorem, motorem, gubernatorem mortalibus prædicavere, docent illos exemplo suo debitam Supremi Numinis voluntati observantiam. Stellæ enim in custodiis suis dicunt, cum Propheta Baruc, *adsumus, & lucent ei qui fecit illas. Non sibi lucent, sed Deo: nec, si velle possint, aliud velint quàm Deus. Obscuritatem, lumen,*

motum, molem suam amant, quia voluit Deus. Custodiis quæque suis & stationibus fixæ sunt, quia vult Deus. Trepidabunt, si trepidationis motus in cælo est: in oppositum impulsui suo rapiuntur, extinguuntur, corrumpentur, corruent, si volet Deus. Utinam Christiani, quorum conversatio in cælis esse debet, discant loqui linguâ cælorum, & facere verbum Domini, nec præterire præceptum quod posuit.

XIV.
Hominis contemplatio.

Difficilis fortassis quibusdam ea lingua videatur: familiariorem itaque audiamus, & domesticam humani corporis. Sexcentos in illo musculos medici deprehendêre, eorumque officia sexies mille. Ossa trecenta annumeravêre, alia aliis inserta & infibulata: singulorumque officia quadraginta, id est universonum millia duodecim. Osseam compagem spectata, quod σκέλετῶν dicimus, & cum medicorum principe eloquentissimum artificis sui panegyricum fatebere. Adde illi arborem venarum, ex hepate nascentium, arteriarum è corde,

NERVO.

nervorum è cerebro. Dein partes singulas scrutare, oculi fabricam, manuum structuram, cæterorum membrorum dispositionem, elementa quatuor in totidem humores corporis contracta, cæli situm & lumina in capite humano velut compendio exhibita, quaternas anni tempestates totidem hominis ætatibus expressas. Animæ facultates, & situm corporis, inter se compara, cum Philone libro 2. Allegoriarum legis. Vide rationem in summo capite sedentem, Regis instar, stipatamque sensuum satellitio. Irascibilem animalis facultatem in pectore clausam, septamque ossibus circum, velut loricâ: Concupiscibilem in infima regione, instar pedissequæ positam. Adverte quàm admiranda celeritate voluntati tuæ oculi, palpebræ, lingua, manus obsequantur: ut arcana illa & stupenda luminum interiorum, ex defæcatissimo sanguine emicantium, quos spiritus animales dicimus, in imaginando, reminiscendo, intelligentiæ subserviando, obsequia taceam. Disce, quantam anima tua auctori suo obedi-

tiam debeat, cum imperanti animæ eum in modum corpus obtemperet.

XV. *Harmonica
Dei gubernatio.* Postquam te contemplatus fueris, ad integras nationes, & universum hominum genus, oculos circûfer. Linguæ diversissimæ, innumeris vocibus constantes, partim inter se similibus, partim dissimilibus, iisdem tamen ubique literis, non tibi manifestè Deum nationes dividentem designabunt, etsi Babylonicam confusionis turrim in sacra Scriptura non legeris? Perspice interiùs varia ingenia & mores nationum: attende ubique paupertatem divitiis oppositam, vitia virtuti, sapientiam stultitiæ, vires infirmitati, prospera adversis, nascentemque ex ea compugnantia, velut ex contrariis vocibus, suavem harmoniam, proprium Dei opus. Considera subitas conversiones rerum publicarum, mirificas fortunarum vicissitudines, regnorum subitos ortus de nihilo, & præcipites occasus in nihilum. Dubitare non poteris, quin isthæc omnia à suprema mente dispensentur, ac regantur, licèt manum regentis

regentis non videas. Quamadmodum enim in mundo visibili, & in corpore humano, aptissima illa similitum, ac dissimilitum compositio Deum auctorem ac rectorem pronuntiat: ita & in civilis mundi partibus populorum, ingeniorum, fortunarum, parium dispariumque, jucunda mistura. Ut æquè de mundorum trium harmonica modulatione dici possit, quod apud D. Augustinum legitur tomo 4. in carmine alterius scriptoris de mundi pulchritudine: *Rapidum tardo, & rata currens hac & hac vaganti: Statisque moventia, densis rara, magna parvis: Obscuris flammiferata, nigra luminosis: Intercidentia natis, nata nascituris: Medium extremis, medio illa, & ima summis, Concordant lege superna, lege dico veri: Vnum carnem modulantur, concinuntque in unum.*

XVI. *Ambulandum coram Deo.* Stabilissimum hoc Providentiæ Divinæ fundamentum meliùs claudere non possumus, quàm D. Anselmi verbis Profologii capite 4. *Gratias tibi, bone Domine, quia quod credidi te donante, sic intelligo te illuminante: ut si te esse*

esse nolim credere, non possim non intelligere.
Et si te meæ mundique omnis gubernationi perpetuò intendere, religio divina non persuaserit, ratiocinatio tamen humana evicerit. Anachoreta Ludovicum Blofium, Lætienfis Coenobii Præfulem, de præceptis Christianæ vitæ adire per intervalla solitus, hæc aliquando accepit Dei ad Abrahamum verba, Gen. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Ad tuguriolum reversus, expendere primùm illa summam, deinde pervaria excitandæ voluntati diducere: nunc intelligentias Deo fervientes contemplari; nunc coelos, ac stellas coram Deo, id est ejus jussu, ambulantes; nunc elementa ac meteora ipsius imperiis obsequentia; jam mista omnia, jam corpus suum, jam gentium nomina & fata ex unius Domini nutu suspensa. Inter tot exempla undique oculis ingesta, valdè indecorum & iniquum fore, si ipse non ambulet coram Deo, & ad nutum illius agat quævis ac patiatur. Eum ferè in modum secum ipse ratiocinando dies totos exigebat, sui vix memor:
donec

donec Blossius longè diutiùs solitò abesse miratus, ultrò adivit, sciscitatúsque est, quid sibi vellet tam diuturna absentia. At ille : quod enim, inquit, ex te documentum altius, fæcundiùsque, & magis inexhaustum accipiam, quàm ut cum rebus omnibus creatis ambulem coram Deo, in ejus voluntate defixus, & ad ejus manum atque impulsum semper intentus?

SECTIO SECUNDA.

Alterum fundamentum :

*A Providentia Divina res etiam minimas,
& fortuitas, curari.*

I. Res nulla
Deo indi-
gna. **I**Ndignè de Deo sensère Infideles illi apud Minutium Fælicem in Octavio, qui extorqueute veritatis testimonium naturâ, Providentiam Divinam universo præsidere fassi, indignam ejus sollicitudine rerum minutarum sollicitudinem existimabant. Sed si indecora Deo non fuit vel minimorum creatio, cura etiam de minimis.

mis illum non dedecuit. Si tam vile & exiguum animalculum plantulave non est, in cuius dissectione ac partibus potentia & sapientia creatoris non sit admirationi: neque ullum est, in cuius conservatione benignitas & cura non elucescat. Eiusdem enim mentis est, producere quæ antè non fuerunt, & productis consulere. Et quomodò nihil tam contemptum est, ut alium totius sui auctorem habere, quàm Deum, potuerit: ita nec tam abjectum est, ut illum conservatorem, dispensatoremve habere non mereatur. Ad curam singulorum Deum trahit Bonitas sua, & rerum Pulchritudo.

II. *Quantum-
vis exigua
& vilis.* Ille scilicet nobis Deus est, ut Seneca loquitur libro 4. de Beneficiis, non qui paucas boves, sed qui per totum orbem armenta dimisit, qui gregibus ubique vagantibus pabulum prestat, qui pascua hibernis æstiva substituit. Ille Deus est, qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum: Psalmo 146. Pusillum & magnum ipse fecit, & equaliter cura est illi de omnibus; Sapient. 6. Sine illo
unus

unus passerum, dupondio vœneuntium, non cadit super terram, ut Christus magni consilii Angelus asserit, Matth. 10. Possunt dicere, porcorum quoque setas numeratas apud Deum fuisse, cum absque Christi permissu tota dæmonum legio in illos ausa non est invadere: nedum capillos sanctorum. Ita loquitur Tertullianus libro de fuga in persecutione, ut intelligamus, Dei consilia & curas quaquaversum ad omnia pro-
tendi.

III. *Nihil Deo
improvi-
sum.* Inde consequitur necessaria bonæ voluntati formandæ veritas: fortuitum Providentiæ Divinæ nihil esse, casuale aut contingens nihil, sed provisæ & præmeditata omnia, causasque eorum ac fines. Hinc fortasse Augustinum pœnituit, fortunæ nomen aliquando usurpasse. Christiano enim, imò rationali, fortuna nulla: omnia de cœlo ab æterna mente destinantur. Improvisæ quidem multa nobis, hebetis visûs animalibus, neque in futurum, nisi per incertas conjecturarum umbras prospicere valentibus, eveniunt. Eadem tamen prævisæ & ante
dispo-

44 BONA VOLUNTAS
disposita dici debent, si Deum attendamus. Prudens Imperator, occupando hostili præsidio, copias ex hibernis dedit. Aliæ alio itinere progredi jubentur, consilii prorsus insciæ, nec de aliarum profectioe commonefactæ. Conveniunt tamen omnes in locum eundem tempore eodem. Fortè id fieri à militibus dicatur, cum inter se non condixerint: fortè tamen non fit, quod ex præmeditato Imperatoris consilio profectum est. Herus famulos duos, alterum alterius ignarum, mittit ad varia negotia, ob quæ inter se debent occurrere. Occursus iste famulis quidem fortuitus videatur: at non hero, qui sic profectioes illorum disposuit, ut ita eveniret. Eundem ferè in modum se res habet, in iis, quos casus, eventusque, ac fortuitas caussarum hominumve conjunctiones & concursus vocamus.

IV. Genesis cap. 15. Eliezer ab Abrahamo mittitur in Mesopotamiam Syriæ. Rebecca, quæ de illo ne per somnium quidem audierat, in ipso tempore venit ad fontem: placet: Isaaco

Isaac sponſa petitur. Quis iſta fortuito
 agi non exiſtimet, ſi humana ſpectes?
 At Deus inexpeſtatos illos occurſus ad
 fines ſuos ſuaviter moderabatur. Ita in-
 proviſa fuit Jacobi & Rachelis obviatio
 ad puteum: deſtinata tamen divino con-
 ſilio. Joſepho in cifternam veterem
 abdito, forte tranſierunt Madianitæ mer-
 catores: quod forte ab illis fiebat, à DEO
 ad miros eventus diſponebatur. Moſen
 in fiſcella fluitantem aliud agens filia Pha-
 raonis vidit, amavit, educavit: ſed hoc
 ipſum agebat DEVS per inſciam Princi-
 pem. Incidit Moſes commodè, cùm
 Madianitides virgines adverſus paſtores
 defendendæ erant: ita DEUS iſthæc con-
 temperârat, ut per iſtam occaſionem ſan-
 ctus vir ſocerum ſanctum nanciſceretur.
 Mittitur à patre Saül ad quærendas aſi-
 nas, & regnum reperit. Pugnante Acha-
 bo, 4. Reg. 22. & 2. Paral. 18. accidit,
 ut unus è populo ſagittam in incertum jace-
 ret: ſed eam ad ſcopum ſuum dirigebat
 Dei Providentia. Non caſu Danielis
 ſapientia Regibus Babyloniciſ innotuit:
 non

non casu Hestheris pulcritudo Assuero placuit: non casu facies Nehemiæ Artaxerxi subtristis visa est: non casu hirundines nidulabantur, ubi obdormiit Tobias: non casu junior Tobias pedes lavavit in Tigri, & piscem exhorruit: non casu Jonam ventus & cetus excepere.

V.
*Ex historiis
 Ecclesiasticis.* Fortè Ravennam venerat Vitalis miles, cum Paullino iudice. Ibi comprehensum Christiana religionis causa Ursicinum medicum, inter tormenta paullulum vacillantem conspicatus: Tu verò, inquit, medice Ursicine, qui alios curas, cave te met eneces. Exceptæ ab adstantibus voces Christianum prodidere, & Martyri comitem addidere. Fortè id factum dicimus: factum tamen ex alto divinæ mentis consilio, Martyrem sibi tam fortuita occasione præparantis. Captivi quidam in carceres eisdem, quos Apostoli, detruduntur, aliis omninò de causis: illi ob crimina, isti ob virtutem. Quid magis improvisum hominibus? Quid magis Deo provisum, qui sic libertati filiorum suorum, per Apostolorum

lorum verba & sacri Fontis lavacrum, captivos præparabat? In Onesimo id spectari vult Paullus: in Proceffo & Martignano Petrus idem fecit. Quotidianum fuisse Martyribus testatur Tertullianus: *Domus, inquit, diaboli est carcer, ubi familiam suam continet: sed vos idcirco in carcerem pervenistis, ut eum in domo sua conculcatis.*

VI. Augustinus libro 3. contra Cre-
D. Augustini narratio ea de re. *Iconium Grammaticum cap. 43. narrat: Maximinianum, Catholicum Episcopum Bagajæ in Africa, à Circumcellionibus hæreticis læsum letaliter in inguine. Cùm inde sanguis totus efflueret, trahereturque membris ex ea parte nudis, pulvis exundantes venas latenter obstruxit. Deinde præceps de excelsa turri datus noctu, subter cinerem stercoreis molliter jacebat. Venit illuc pauper, exonerandi ventris causa: vidit hominem, domum tulit, postea curatus est. Vivit: plures in ejus corpore cicatrices, quàm membra, numerantur. Non vereor, ne minuta nimis & vilia referre videar, quæ D. Augustino*
 visa

vifa sunt relatu non indigna: ut ex unius hominis casu intelligamus nil casu fieri. Neque enim casu factum, ut pulvis venis vulnerati, ad sistendum sanguinem, velut medicamentum extemporaneum, admo- veretur. Non casu factum, ut sterqui- linio præcipitatus incideret. Nec casus fuit, quod in illum jacentem pauper ex vicino incurreret. Naturalium causarum occurfus fortuitos sic DEVS disposuit, ut vita Confessori suo servaretur.

VII.

Alia ejus- dem.

De seipso idem Augustinus En- chiridii ad Laurentium cap. 17.
Sunt quedam quæ nescire, quam scire, sit melius. Itemque nonnullis errare profuit: sed in via pedum, non in via morum. Nam nobis ipsis accidit, ut in quodam bivio falleremur, & non iremus per eum locum, ubi operiens transitum nostrum Donatista- rum manus armata subsederat: atque ita fa- ctum est, ut eò, quò tendebamus, per devium circuitum veniremus: cognitisque insidiis illorum, nos gratulareremur errasse, atque in- de gratias ageremus Deo. Sapiens & fan- ctus vir errorem ipsum suum, ex-mera impru-

imprudētia ortum, providentiæ tamen
divinæ, quælibet ad fines suos ordinanti,
tribuit. Adeò certum est, nîl evenire
fortuitum. Videri potest idem Doctor
in libris de Ordine: ubi foricis strepi-
tum, quo ipse domesticique discipuli ex-
citati fuère, & murmur torrentis inter
folia labentis & interstrepentis, unde oc-
casionem disputandi arripuerunt, casu ac-
cidisse non existimat.

VIII.

*Quotidiana
in nobis ex-
perientia.* Quàm multa nobis quotidie
incurrunt ejusmodi, quorum
rationes nunc non videmus:
postmodùm agnitori, quando ex editâ
æternitatis specula retrò lapsorum anno-
rum mutationes remetiēmur? Tunc
manifestè apparebit: nec casum fuisse,
quod ibi nati; nec fortuitum, quòd sic
educati; neque inconsultum, quòd ad ea
studia, artésve admoti; nec sine numine,
quòd illa consortia consuetudinesque in-
gressi. Deus in omnibus causas suas
habuit, easque optimas: etsi cæcis mor-
talibus ista cæco impetu ferri videantur.
Celebre est istud Apellis apud Plinium

libro 35. cap. 10. Equum pinxerat currentem, & anhelum: de spuma ad verum effingenda laborabat. Post multos conatus, sæpiusque appositos & inductos colores, cum oculis suis ac iudicio non satisfaceret, manui suæ & arti iratus, penicillum tabulæ impegit. Excussi colores spumam pulcerrimè expresserunt. fecitque casus quod ars nequiverat. Exclamet hinc Latinus poëta, *O quantum est subitis casibus ingenium!* At nos, qui Dei oculos & manus ubique scimus intuituri & operari, etiam in eo jactu, & colorum dissilientium inexpectata compositione, dicemus, non casus esse ingenium, sed Dei, cui fortuitum nihil est.

IX.

Etiã minima ad Deum referenda.

Et hinc in antecessum inferamus, quod postea fusiùs dicendum erit, in eventis quibusvis rerum humanarum, etiam minimis, assuescendum, oculos ad Providentiæ divinæ ductum & orationes attollendum. Documentum id est Epicteti cap. 1. *Ne postules ea, quæ sunt, arbitrari tuo fieri sed, si sapias, ita quæcumque velis fieri, fieri*

OPTIMÆ CONSENTIENS. 51

funt. Pluit? Pluere velis. Urit æstas? æstum velis. Incommoda sunt tempora? Incommoda velis. Neque ideo tantum velis, quia stulti sit aliud optare, quam quod fieri potest: fieri autem non potest, ut quod est non sit. Sed ideò velis, quia quæcumque eveniunt, non nisi ex voluntate Dei eveniunt. Stoïcorum prima doctrina erat de Fato: inde ipsis inter eventa omnia constans & tranquillus animus: neque ipsorum intererat, destinatione hominum consilio, an fortuitò acciderent. Non consilia rerum, aut imprudentiam attendebant: sed fatum, à quo omnia definiebant proficisci. Fatum autem quidam interpretantur rerum necessitatem: eamque necessitatem nonnulli forsan Stoïci ita sumpsere, ut ne divinæ quidem, nedum humanæ libertati, locus esset. Verum clarissimus Philosophorum Stoïcorum Seneca nobis modò, sectione proximè præcedente, edisseruit, fatum nîl aliud esse, quam Dei Providentiam, res omnes altissima ratione ordinantem ac ducentem: idemque

toto de Providentia libro apertè exsequitur. En igitur nobilissimorum Stoicorum ἀπάθεια, constantiamque invictam, inter quotidianas rerum mutationes: ex eo quod in illis Dei ductum perpetuò attendere consuèssent.

X. *Christiano-
rum ea de re
doctrina.* Mavis à Christianis id documentum haurire? Adi Dorotheum, insignem ascetices magistrum, integram tibi eâ de re concionem inculcabit, Doctrinâ septimâ, quæ tota est *de omnibus contingentibus ad Deum referendis*. Invenies illic, de sene quodam agro consueto ad Deum cuncta referre: qui, cum ministri errore oleum pro pulmento infusum esset, gustatumque absque ullo animi aut vultus motu seposuisset, ministro errorem denique advertenti & excusanti, nil quidquam dixit, nisi, Fili sic Deus voluit. Genesis cap. 27. Isaacus ævo gravis, & oculis præ senio captus, Jacobum percunctatus, unde ipsi tam citò præda, cum hic respondisset, Dei voluntatem fuisse, ut citò occurreret, quod volebat: *Vox, inquit, vox Iacob est:*

se

sed manus, manus sunt Esaii. Vocem Jacobi agnoscit, non tantum quia lenior exhibat, quam ex ore asperi & agrestis venatoris: sed quia sonabat voluntatem Dei, cujus mentioni Jacob assueverat ad quotidiana eventa. Didicerat à Rebecca matre, cui casus non fuit, ad puteum occurrisse Eliezeri. Didicerat à Melchisedecho Rege Salem seu Pacis, quando in ejus disciplinam à parentibus datus vir simplex, & unum in omnibus Deum quærere assuescens, habitabat in tabernaculis.

XI.

*Quanta inde
tranquillitas.*

Nec verò quidquam est potentius ad subitos animi motus componendos, pacemque animi inter foruita incurrètia servandam, quam ea non ut fortuita accipere, sed ut à Deo destinata, qualiacumque sint. Mirati sunt parentes nostri compositissimum Philippi Secundi Hispaniarum Regis animum, & ne subitis quidem, atque improvisis tangi facilem. Ad majora ventura meditationibus comparamur, ideòque venientibus minus percellimur: mi-

nora plerumque, quia præmeditati non sumus, patientiam subito motu excutiunt. At Rex ille majoribus inconcussus, classium jacturam, provinciarum rebellionem, filiorum mores, & mortes, imperturbato vultu audire solitus, eandem ad minuta contingentia, ut familiarium intimi notavêre, ac narravâre, tranquillitatem attulit. Manu sua literas ad Pontificem Maximum exarârat: iis siccandis petitâ ab ephebo thecâ arenariâ, atramentariam accepit, & chartæ infudit. Ad hoc pallenti ac trementi ephebo, nîl quidquam, nisi, Fili profer aliud chartæ folium. Eidem ocrearum unam induenti, calcar, quod imprudens famulus in imo reliquerat, plantæ pedis incussum est. Vix se quantumvis compositæ mentis homo tenuisset, quin irasceretur. Rex ita se compescuit, ut citra vel minimum indignationis signum, id solum dixerit, Eximatur quod in ocreis latet.

XII.
Causa tranquillitatis. Qui ad eam animi pacem aspirat, sese assuefaciat intuenti in obviis quibuscumque casibus Provi-

Providentiæ Divinæ, & cum Sapiente
 cap. 14. identidem iteret, *Tua, Pater,
 providentia gubernat, universa & singula,
 magna & minuta, necessaria & fortuita.*
 Cùm autem Deus omnia regat, benè
 regere necesse est, & benè regenti ac-
 quiescere oportet. Esto, quem tibi
 finxeras rerum tuarum alienarumve or-
 dinem, subitis incurfibus interturbetur:
 manet tamen, ac fluit imperturbatè,
 longè illo melior & optabilior ordo à
 suprema mente stabilitus. Ad illum ubi-
 que adspiciendum nos vocabat D. Tho-
 mas opusculo 62. *Mos Dei est, quod om-
 nia opera sua in summo benè fecit. Opera
 quippe cali & terræ, Angelorum & homi-
 num, & aliarum creaturarum, adeò benè
 fecit, ut melius excogitari non possit. De-
 inde ad minutiora descendens: Sive sit,
 inquit, ventus, sive pluvia; sive aura cali-
 da, sive frigida; sive sicca sit via, sive ma-
 dida; sive fructus terræ abundet, sive pereat;
 pro illo tempore fieri melius non potest. Bre-
 viùs cuncta Augustinus complectitur li-
 bro 3. de libero arbitrio cap. 36. Deus id*

56 BONA VOLUNTAS
judicavit esse pulcherrimum, ut esset quidquid
est, sicuti est. Quamvis enim in se pul-
cherrimum non foret neque optimum:
Deus tamen fecit pulcherrimum, ita judi-
cando; & optimum, ita volendo.

SECTIO TERTIA.

Fundamentum bonæ voluntatis tertium
ac præcipuum:

Cura Dei de homine, præsertim bono.

I. Dotus est Do-
minus homi-
niam singula-
riter. **R**Egius Vates Psalmi octa-
vi, qui totus est de pe-
culiari Dei erga hominem cura,
initium & finem fecit eodem
versu, *Domine Dominus noster, quàm ad-
mirabile est nomen tuum in universa terra.*
In eo versu simul posuit & propositionem
& conclusionem cantandorum. Quid
paras de Deo dicere? Dicam esse do-
minum nostrum. At quid in ea re novi?
Nonne dominus universorum est? Pro-
fus. Ita tamen, ut singulariter sit homi-
num dominus. Ad experientiam te ap-
pello, & ipsam fidem tuam, si mihi fi-
dem

dem non habes. Contemplare Univer-
 sum, expende terram, scrutare maria,
 vide pisces natantes, circumspice aves
 volantes, intuere animalia pascentia, spe-
 cta stellas lucentes, metire cælorum in-
 gentia spatia. Isthæc omnia cùm Dominus
 produxerit, dominus illorum est. Sed
 quandoquidem homini produxerit, non-
 ne meritò etiam infantes & lactentes
 clament: *Domine, dominus noster es, qui*
nos, & genus omne humanum, proprio
quodam affectu curas, & solitudine
singulari complecteris? Notavi ali-
quando, nec dubium quin & alii ante
me, nusquam in primo Geneseos capite,
ubi de rerum creatione agitur, poni no-
men tetragrammaton, quod latina ver-
sio reddere Dominum solet, Græca κύριον,
exprimiturque Hebraicè per vocem
Adonai, istis respondentem. At verò in
altero capite, ubi particulatim enarratur
hominis creatio, rerumque aliarum sub-
jectio ad ejus obsequia, passim nomen
istud ineffabile occurrit; iteraturque fre-
quentissimè appellatio Domini Dei. Ad

commendandam utique Dei erga homines benevolentiam, qui ipsorum peculiariter *Dominus* esse velit, singularemque illis curam & amorem impendere.

II. *Major cura qualiter sit in Deo.* Cùm autem dicitur, homines Deo magis esse cordi, quàm corporearum rerum cæteras: nemo tam ignarus sit divinorum, ut sibi persuaserit, Deum de re aliqua magis intentè aut frequentius cogitare quàm de alia, sensùve de illa habere teneriores, aut vehementiores. Humanæ imbecillitatis & mutabilitatis officia ista sunt. Quia Josephum Jacob præ cæteris filiis habebat in amoribus: idcirco erga illum tenerius afficiebatur, & sæpius eum versabat in mente. Salomoni, quia liberorum carissimo, voluntatem & studia magis impendebat David, quàm Adoniæ, vel Nathani. Christum ipsum, quàm hominem, plus de optima matre & dilecto Joanne, quàm de aliis, cogitare, æquum fuit, & naturæ consentaneum. Sed absit, ut Christianus ullus, vel tenuiter eruditus, tam crassam rudemque de Deo effingat

fungat

ingatur imaginem; qui omnia intellectu-
ne una cogitat, quia totus est intellectus;
& omnia volitione una amat, quia totus
est voluntas; & totus est intellectio, ac
volitio, quia totus est actus. Deum
ergo aliquid curare præ aliis, est, plures,
ad conservationem ac perfectionem illius,
effectus sollicitudinis & amoris extra se
producere, ac demonstrare.

III. Explicando huic argumento,
Declaratur. Theologi quidam duplicem
Dei Providentiam posuere, Naturalem,
& Moralem. Naturalem vocant, qua
Deus res creatas curat, morum incapa-
ces: moribus autem regi non possunt,
quæ carent ratione, discernendis ac diju-
candis moribus necessariâ. Moralem au-
tem appellant, qua Deus utitur ad guber-
nandos Angelos & homines, qui soli in-
telligentia præditi sunt, & moribus re-
guntur. Verùm eâ distinctione omiſſa,
D. Thomam audiamus prima parte, quæ-
ſtione 22. articulo 2. Postquam hoc ge-
neratim posuit: *Omnia subsunt divine
Providentiæ; sed diversimode.* Particula-

60 BONA VOLUNTAS

tim deinde subjicit: *Bruta subduntur providentia divina per se, & in singulari, sed propter aliud: propter hominem scilicet, cui serviunt. Boni subduntur providentia divina propter se: mali verò propter bonos tantum, ut bruta.* Unde id conficitur, quod modò ex Davide discebamus, præcipuam Dei inter aspectabilia sua opera curam esse de homine. Magis enim curatur finis agendorum, quàm quæ ad eum finem ducunt, & media vocantur. Tantâ diligentia ac vigilantia custodit ac servat Jacob Labani greges, ut numquam illi ostendat captum à bestia: at longè magis Racheli intendit, cujus causa pastor ovium est. Ita, cum Deus bruta propter homines curet, plus multò sollicitudinis in hos dicendus est, quàm in illa impendere. Ex eadem ratiocinatione consequitur, potissimam Dei inter homines curam esse de probis: quandoquidem improbi ad proborum utilitatem ac profectum à Deo ordinentur, velut media ad finem.

IV.
*Singulos ho-
 mines Deus
 curat.*

Neque universo tantum huma-
 no generi Deus præcipuè at-
 tendere credendus est, sed etiam
 singulis paterna sollicitudine consulere.
 Nam si conservatione ac salute generis
 contentus singulos negligeret, id faceret,
 quia illis providere vel nequiret, vel nol-
 let. Potest autem, & vult. Potest, quia
 Deus est: vult, quia creator est. Adeo-
 que *Domini est oculus hominis*, ut loquitur
 Zacharias cap. 9. Id est, ut ego quidem
 interpretor, hominem quemlibet, quan-
 tumvis abjectum ac despicabilem, singu-
 lari summum Numen providentia respi-
 cit. Itaque verissimè dixit Augustinus
 lib. Conf. 3. cap. 11. *Sic curas, ô Deus, unum-
 quemque nostrum, ac si solum cures; &
 sic omnes, tamquam singulos.* Eodemque
 sensu Gregorius Moralium lib. 25. cap. 19.
*Sic Deus intendit singulis, ac si vacet à cunctis:
 & sic omnibus intendit, ac si vacet à singulis.*
 Hoc ipso quo scribimus, legimusve, aut
 dicimus momento, cælorum machinam
 rotat, Soli lumen sufficit, diemque terris
 administrat, elementorum naturam su-

stentat, me inter isthæc, mihi creata ac conservata, non negligit, corpori vires impertitur, cogitationi vim tribuit, manum scribentis ducit, linguam dicentis movet, aliâque mecum agit omnia, non secus ac cum Adamo aut Noëmo, sub creati aut renovati mundi initia, quando universum genus humanum erant homines duo aut octo.

V. Absit enim, ut vim potentiamque
Citra la- divinæ mentis infinitam ex infir-
borem. mitate humani ingenii, vix paucis
 curis pari, metiamur. *Pluribus enim in-*
tentus minor est ad singula sensus hominis,
 quantumvis intelligentis & exercitati.
 Idcirco Siracides sapientiæ studiosum
 monuit, *Fili ne in multis sint actus tui,*
 Eccl. II. Et Jethro Exodi cap. 18. Mose
 genero suo, nimium satagenti, persuadere
 volens, ut laboris socios assumeret, curas-
 que partiretur, dixit Sapienter, *Stulto la-*
bore consumeris. Nam oneri tam multi-
 plici impares sunt unius ingenii vires.
 Imò ut ingenium sufficiat, delassatur ta-
 men homo & exhauritur, etiam in ad-
 mensis

mensis sibi laboribus: quia corpus quod corrūpitur aggravat animam, & paullatim ipsa sese agendi vivacitas exedit, & arden- do lucendóque velut cerei decrefcit atque confumitur. Aliter longè res habet in Providentiæ divinæ curis. Neque enim multitudine distrahitur ac distenditur, nec longitudine aut difficultate fatigatur. Quemadmodum creando labor nullus adhibitus est, vox unica ac voluntas fuffe- cit: ita & confervando velle ac dicere fufficiet. Et quamvis Deus Angelorum hominúmque ministerio, ad generis hu- mani gubernationem, utatur, vicariós- que habere, & eis obediri velit, ad rerum ordinem decentiorem: vicarii tamen nul- lius operâ indiget, & per fe nihilominus administrationem fingulorum attingit.

VI. Audiendus iterum Auguftinus in
Hominis nobilitas. Psalm. 148. *Fecit Deus calum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & te. Parum dico te, passerem, locustam, vermiculum. Nihil horum non ille fecit, & cura est illi de omnibus. Noli ergo dicere, non pertineo ad Deum: pertinet ad Deum*

Deum anima tua, pertinet ad Deum corpus tuum, quia Deus fecit animam tuam & corpus tuum. Non curaret Deus hominem quemlibet, cui etiam vermiculus curæ est, quia ab ipso creatus est? Atqui nobilissima creatura est homo, etiamsi corpus solum attendas, cujus supra descriptionem attigimus. Quid si animum contemplare, materiæ expertem, mortis nescium, compotem sui, capacem Dei? Deus enim, ut loquitur Lactantius lib. de Ira Dei cap. 4. *Sicut mundum propter hominem machinatus est, ita ipsum propter se tamquam divini templi antistitem, spectatorem operum rerumque celestium.* Quare Vates Regius Psalmo 8. postquam petit: *Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam reputas eum?* Respondet ipse interrogationi suæ, & ejus dignationis rationem affert: *Minuisti eum paullo minus ab Angelis.* Non reputes, ô Deus, filium hominis, quem tu ad id honoris extulisti, ut suppar incedat altis illis intelligentiis, quæ inaccessiblei tuæ lucis purissima sunt specula?

OPTIMÆ CONSENTIENS. 65

VII.
*A Deo
 amatur.*

Eandem ob causam Philosopho
 cuiusdam prisco, Platoni ni fallor,
 istam hominis dignitatem creato-
 risque dignationem æstimanti, Deus οὐ
 φίλορις οὐ φιλόθηρ, ἀλλὰ φιλόανθρωπος,
 non avium, ferarumque, sed hominum amator
 est. Non quia non amet animalia cætera:
 sed quia inter omnia divinum istud ani-
 mal præcipuè habet in oculis & in delitiis.
 Quam etiam Dei humanitatem eodem
 ipso φιλανθρωπίας nomine commendat
 Paullus ad Titum cap. 3. *Apparuit benigni-
 tas & humanitas Salvatoris nostri Dei.* Ubi,
 quod Latine est humanitas, Græcè est
 φιλανθρωπία. Nec mirum, tam humani
 erga hominem quemlibet affectus Deum
 esse, cum talem talis condiderit, non in-
 decorum partum optimus parens: qui
 quem tam amanter produxit, non conser-
 vare non poterit convenienter naturæ
 suæ, si conservari se sinet.

VIII.
*Paternus
 Dei affe-
 ctus.*

Deum ipsum audiamus de se &
 de homine loquentem, tanto af-
 fectu, tam suavibus verbis, ut ex-
 primum nihil possit significantius. Quod

nomina:

nomen dulcius, quàm patris? An maternum? Ille fortiùs diligit, mater teneriùs. Patrem se & matrem fore Deus pollicetur, ut & fortiter amet, & tenerè: idque de populo promittit inquieto, infideli, rebellis; sæpissimè monito, sæpissimè obstinato, & adhuc, cùm Deus ipsi loqueretur, idololatriam sectante. *Si filius mihi honorabilis Ephraim*, inquit Jeremiæ 31. *si puer delicatus*: seu, ut alia versio sonat, *An non filius pretiosus Ephraim, an non puer solatio-rum?* Ecquisnam autem ille est Ephraim, ut Deus ipso filio gaudere, & gloriari, imò quodammodò sese jactare videatur? Ephraimitica tribus est, Israëlitici regni caput, & nomen, populus contumax, proles optimo parenti Deo immorigera, meritâque abdicari. Ne tamen dubites, quin qualiscumque tandem filius Deo sit honorabilis, & pretiosus, & delicatus, & solatio-rum, subjicit: *Idcirco ex quo locutus sum, commota sunt viscera mea super eum.* Non tibi videtur Jacob de Josepho suo loqui, aut de filio dexteræ Benjaminino, quem ne nominari quidem audiat absque sensu teneri-

teneritudinis? Non eæ sunt voces parentis amantissimi, commoda juxta & incommoda liberorum ita excipientis, ut propria? Quid exprimendæ paternæ Dei in homines dilectioni significantius dici poterat, quàm illa viscerum commotio, & agitatio cordis amore vehementi palpitantis?

IX. *Materna ejusdem dilectio.* Simili locutione usus Isaia 49. in exemplo matris, quæ liberos, præfertim immaturæ ætatis, & ex utero nuper profusos, dulciùs amare solet, quàm pater. *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego non obliviscar tui.* Vides materno affectui suum à Deo non conferri solùm, sed etiam præferri, & meritò. Nam mater filium in utero gestat menses novem, Deus hominem toto vitæ tempore: *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus,* velut intra materna viscera: *Audite, inquit Isaia cap. 46. domus Jacob, & omne residuum domûs Israël, qui portabimini à meo utero.* Filium in lucem editum mater aliquando dat lactandum nutritici;

nutrici; si ipsa alit, brevî tamen ablaçtat; Deus erga hominem semper fungitur nutriticis officio, ideóque nomen Tšaddai sibi tribui voluit, ut Mammofus diceretur; & Sapientia feu Providentia divina, loquens instar Deo assistentis, de seipsa pronuntiat, *cum eo eram cuncta componens, creans ac conservans, feu, ut alia versio habet, cum eo eram velut nutrix.* Denique mater filium ablaçtatum sinu & brachiis gestat, donec per se ingredi didicerit: Deus semper portat hominem verbo virtutis suæ, multò magis quàm cæteras partes Universi: *usque ad senectam ego ipse, inquit per Isaiam cap. 46. & usque ad canos ego portabo.*

X. Abire hinc non possumus, quin
Christi doctrina ea de re. indicemus argumenta quibus
 Christus ipse Matth. 6. curam
 illam Dei de hominibus plusquam paternam commendat, & sollicitudinem hominum nimiam de rebus temporalibus circumcidit. Primùm, quia ista sollicitudo Deo contumeliam facit: de ipso enim diffidit, quasi providere vel nesciret, vel nequiret,

quiret, vel nollet. Cùm tamen velit, quia Pater est, & animam dedit ac corpus, quæ pluris sunt quàm alimenta: cùm possit, quia Creator est & Conservator, quod *volatilia cali* docebunt, & *lilia agri*: cùm sciat, quia est *Pater celestis*, & è specula sublimi æternitatis suæ singula contem-
platur. Deinde, indigna est Christiano sollicitudo istiusmodi: *hæc enim omnia gen-
tes inquirunt*. Disputent crassi Judæi, *Numquid Deus panem poterit dare, aut para-
re mensam populo suo?* At Christianos post certam Providentiæ divinæ cognitionem, & experientiam quotidianam, diffidere, prorsus intolerandum est. Tertiò, cura est inutilis & supervacanea: *Quis enim cogitans poterit adjicere ad staturam suam cubitum unum?* Quis æger sanitatem promovet assiduè de illa meditando? Quis mercator navim anxiam curam in portum impellit? Quis pater-familias inquietis & importunis consiliis rem domesticam auget? Quis bellator, aut princeps, publicæ tui prodest tumultuosis imminentium negotiorum, aut periculorum, præcogitationibus?

tationibus? Neque inutilis modò, sed & plurimùm noxia est nimia sollicitudo. Multi de vestibus anxie satagendo corpus exedère: plures curâ ciborum ac ventris animam perdidère: plurimi jacturam æternorum immodicis caducorum studiis fecère. Nonne tamen *anima plus est, quàm esca; & corpus plus, quàm vestimentum?* Nonne propter vitam caussas vivendi perdere, infælicissimæ insanix est?

XI.
*Deus singu-
lariter ami-
cos curat.*

Ex affectu Dei singulari erga quosvis homines, facile est colligere peculiarem ipsius erga amicos suos providentiam, ut ejus exigit ordinatissima caritas. *Misericordiam & veritatem diligit Deus*, inquit Regius Vates Psal. 83. quod alii, valdè aptè ad argumentum nostrum, vertère ex Hebræo, *Sol & scutum Dominus*. Quemadmodùm enim Sol illuminans per omnia respicit, & oritur super justos & injustos: influentiarum tamen arcanâ vi Lunam, aurum, adamantem, corda animantium singulariter afficere dicitur. Et quomodò scuto, non pectus solùm sicuti lorica, aut caput veluti

veluti galeâ, sed membra omnia quæ pe-
tuntur contegimus: illa tamen magis de-
fendimus, quibus maximè vita contine-
tur. Ita Sol Deus est ac scutum, quia om-
nibus quidem hominibus communicat
lumen vultus sui, omnésque tuetur ac
protegit: communis tamen ille inspector,
ac defensor, peculiari studio amicos com-
plectitur. *Providentiam aliis creaturis non
negamus*, inquit Bernardus Serm. 68. in
Cant. *curam sponsa vendicat sibi*. Eodem
sensu Ambrosius lib. 4. in Lucam: *Dom-
inus dormit tepidis, vigilat perfectis*. Quam-
diu vigiles sumus ad ipsi obsequendum,
non dormitabit neque dormiet, qui custo-
dit Israël. Sic nos Deus visitat, sicut il-
lum colimus.

XII. Vitas tres vivit amicus Dei;
Vitam eo- Corporalem, quæ ipsi cum ani-
rum corpo- malibus cæteris communis est:
valem. Civilem, quæ ex bona existimatione &
 judiciis hominum existit: Spiritualem ac
 divinam, quæ in vera virtute, & arctâ
 cum supremo Numine per sincerum cul-
 tum conjunctione posita est. Infima Vi-
 tarum

tarum trium tanti tamen est, ut vel Caini, vel alterius cujusvis perditum hominis vita pretio aestimari non possit, & omnia quae habet homo det pro anima sua. Quanti ergo erit vita viri probi, qui Deo natus, & sibi, Dei honorem ante commoda sua ponere consuevit? *Erit nempe ejus anima custodita quasi in fasciculo viventium ante Dominum*, quod de Davide prudens Abigail affererat 1. Reg. 25. Si tibi hoc voles demonstratum, specta innatantem horrendae terrarum omnium eluvioni Noëmicam navim. Abrahamum vide Dei custodiae ubique septum, imò ejus uxorem secundariam Saræque ancillam Agarem. Jacobum sequere quando illum Deus deduxit per vias rectas, & post peregrinationum pericula Josephum ejus filium, fratribus longè aliud spectantibus, praemisit in exteram regionem, ut annonam fami venturae comparceret. Comitare in solitudine populum Israëliticum univsum, & quotidianum ciborum, quibus perpluitur & vescitur, demensum expendere. De corvo Eliæ, de Elisæi farina & tritico,

tritico, de ignibus Babylonicis trium Hebræorum, de leonibus Daniëlis & pulmento Habacuc, de aliis innumeris ejusmodi, quos Deus extraordinariâ providentiâ servavit à facie tempestatum famis, longum esset recensere, & forsan recentius aliquid desiderabis. Innovata fuere hoc ipso sæculo prisca Israëliticæ plebis miracula in Guairanis Americæ neophytis. Rabiem hostium fugiebant capitum circiter millia duodecim. Præibat palantem gregem Joannes Ardenne-
 sius Leodiensis, Sacerdos è Societate JESU, ductor pastorque: etsi vix erat quo corpora pasceret. Sed Deus hanc pastoris partem implere statuerat. Consumptis enim alimentis omnibus, vis ingens herbarum in vicino flumine, nunquam antehac illic visarum apparuit, alibi-
 lium, & boni saporis ac palato grati. Utque manifestius esset Dei beneficium, post collectam sub ortum solis singulis familiis portionem, nil supererat; sequenti verò manè ita excreverat repentina seges, ut abundè omnibus sufficeret. Quotidia-

D

num

num prodigium ad messem usque adultam perduravit: Deo tunc demum extraordinem ac supra naturam operari desinente, cum ordo naturæ redierat. Ita ex Paraquaria ab ipso populi istius ductore scriptum, anno hujus sæculi tricesimo quinto.

XIII.

*Vitam item
Civilem &
Spiritualē.*

Civilem autem suorum vitam, quæ apud cordatos corporali pluris est, & in honoris ac bonæ famæ, ex virtute nascentis, præmio consistit, servaturum se Deus nominatim pollicitus est, Regum 2. *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.* Stetisse promissis infinita testantur: mendaces enim ostendit, qui maculaverunt sanctos suos: fecit, ut ab auditione mala non timerent, qui apud ipsum benè audiebant: voluit, ut quod ipsi fecerunt narretur in memoriam eorum, & dici possit, *Nimis honorati sunt amici tui Deus: si quid ipsis interim infamiæ ad exercitationem virtutis inuri passus est, multiplici honoris favore postmodum compensavit, ut in Sanctorum apud fideles gloria passim videtur.*

dere est. Si verò Civilem ac Corporalem amicorum vitam tam studiosè Deus solet defendere, quid de spiritali dicemus, cujus vel minimum detrimentum universi mundi lucro sarciri non potest? Lib. 1. Reg. cap. 2. de Deo concinuit Samuelis mater, *Pedes Sanctorum suorum servabit.* At cur pedes potissimùm memoras Prophetis sapientissima? Quidni potiùs oculos, cor, caput, aliàve nobiliora membrorum? Omissis variis explicationibus, commodè Cajetanus dicit, pedum fieri mentionem, ut inde inferatur quanta sit cura capitis, cùm vilissima membra accuratè custodiantur. Vidisti quâ diligentia Deus corpora Sauctorum, & honorem, id est pedes, servet: ut vel hinc scias, quomodo animam tueatur, corque, & caput hominis in illum ex utero projecti, quem docet à juventute, & usque in senectam & senium: quem, ut ait Laurentius Justinianus lib. de triumphali Christi agone cap. 25. *comitatur in negotiis, ne delinquat; in periculis, ne cadat; in prosperitatibus, ne se extollat; in laboribus,*

76

BONA VOLUNTAS

*ne deficiat; in dubiis, ne erret; in hujus vite
itineribus, ne eterna vite consolationem
amittat.*



PARS